



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

62. An in obligatione celebrandi detur paruitas materia? Et an ex aliqua  
ingruente necessitate liceat Capellano ad Missam quotidie obligato,  
aliquando per annum quater, vel sexies celebrare pro ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

n. 3. 1. Homobon. de exam. Eccles. part. 1. tract. 4. cap. 13. 9. 1. 2. 2. putant hanc sententiam esse admittendam, si Capellanus aegrotaret per octo, vel decem dies. Petr. à Nauarra de restitutione, lib. 2. cap. 1. n. 210. si per spatium vnus, vel duorum mensium Capellanus aegrotaret, non obligat illum ad celebrandum. Non enim (vt asserit) credibile est fundatorem voluisse ita strictè obligare, cum suam mentem non explicaret; nec certè est rationale tantum emungere. Sic ille, & Naldus in summ. vers. Missa, n. 11. Quorum sententiam impugnatur Genuensis in praxi cap. 47. n. 2.

2. Ego verò si Capellani infirmitas perdurauerit vsque ad 15. dies; non obligarem illum ad Missas celebrandas.

RESOL. LX.

An Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, si per mensem sit infirmus, teneatur pro illo tempore Missas compensare? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 238.

Sup. hoc in Ref. præterita, & in alio § & vers. eius not.

§. 1. **M**ulti putant in tali casu tempus vnus mensis esse satis laxum ad excusandum Sacerdotem, ne Missas compenset, sed excusari docet Hurtadus de Sacram. disp. 4. de sacrificio Missæ, diff. 1. vbi sic ait. Si Capellanus infirmitate, aut alio impedimento non voluntario impeditus existat, non tenetur Missas pro paruo tempore, nempe pro vno mense omillas compensare, nisi constitutio aliqua, aut nota consuetudo id non permittat, quia id potest de mente fundatoris prudentissimè præsumi. Ita ille, qui citat Layman; vnde rectè asseruit Mercerus de Sacram. in 3. p. D. Thoma 9. 83. art. 2. propos. 2. n. 1. quod obligatio celebrandi quotidie intelligenda est moraliter, & regulariter, quia alioquin esset onus intolerabile, nisi sit tale beneficium, & talis consuetudo, vt obliget ad prouidendum quotidie Ecclesiæ de sacrificio per se, vel per alium; tunc enim maiori rigore urgebit hæc obligatio quotidiana.

RESOL. LXI.

An Sacerdos obligatus quotidie celebrare, possit ex causa maioris honestatis vnã Missam in hebdomada omittere.

Et an aliquando non solum vnã, sed alteram Missam possit talis Sacerdos ex causa honestatis relinquere? Et cursum notatur, quod in tali die non potest Sacerdos Missam pro alio celebrare, & accipere ab illo stipendium.

Et asseritur ex aliqua ingruente necessitate posse Capellanum per annum quater, vel sexies celebrare pro seipso, vel sibi valde coniuncto, ad specialem gratiam Dei obtinendam. Ex p. 2. tr. 14. Ref. 28.

Sup. contento in hoc §. 1. & in fine huius Resol. in duabus Ref. seqq. & supra legem doctrinam §. Notandum. Ref. 55.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè, si institutio Missæ dirigitur ad personam Sacerdotis his, vel similibus verbis: Eligatur Capellanus, qui quotidie celebret; non autem si adiungat, per se, vel per alium: neque enim si institutio Missæ dirigitur ad locum: vt si scilicet dicatur quotidie Missa in tali Ecclesia, vel in tali Capella, &c. tunc enim Sacerdos, qui huiusmodi onus habet, sine vlla vacantia, tenetur quotidie celebrare. Ita Zanardus in direct. Theol. p. 1. de sacrific. Missæ cap. 13. in principio, Fraxinellus de oblig. Sacerd. sect. 4. concl. 4. §. 1. Bonacina de Sacram. disp. 4. quest. vt. punct. 7. §. 2. n. 16. & 17. & alij penes ipsos.

2. Hoc vnum aduertam, quod ipsi non notantur, Nauarrum in casu proposito putare aliquando Sacer-

dorem non solum vnã, sed etiam alteram Missam posse ex causa honestatis relinquere. Ita ille tom. 1. consil. lib. 3. de præb. consil. 6. n. 5.

3. Sed hanc sententiam impugnat Naldus in summ. verb. Missa, n. 6. qui probabiliter tamen in n. 7. asserit ex aliqua ingruente necessitate posse Capellanum per annum quater, vel sexies celebrare pro se ipso, vel sibi valde coniuncto ad specialem gratiam Dei obtinendam: nam hoc non ei denegaret Capellanie institutor, si de tali casu cogitasset, vel interrogatus fuisset. Potest igitur Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum, ex consuetudine introducta, relinquere vnã Missam in hebdomada. Nota tamen quod non potest in tali die celebrare Missam pro alio, & accipere stipendium. Ita DD. communitè.

RESOL. LXII.

An in obligatione celebrandi detur paruitas materia? Et an ex aliqua ingruente necessitate liceat Capellano ad Missam quotidie obligato aliquando per annum qualiter, vel sexies celebrare pro seipso, vel sibi valde coniuncto ad specialem gratiam Dei obtinendam, non vero pro alio in vtroque casu, à quo stipendium recipiat? Ex p. 5. tr. 5. Ref. 23.

§. 1. **V**idetur affirmatiuè respondendum ex doctrina Naldi in summ. vers. Missa, n. 7. vbi sic ait: An autem præfatus Capellanus obligatus ad Missam quotidie possit eo die cuiusque hebdomadae, quo sibi liberum est, Missam omittit, pro alio celebrare conferente sibi stipem specialem. Respondendum mihi censo negatiuè, nam consuetudo illa omittendi Missam semel in hebdomada fundata est in præb. cap. 5. significatum, de præbend. vbi ex causa honestatis & maioris deuotionis illi ei conceditur. Ergo cessante causa, cessat etiam illa iuris indulgentia, quinimo addo id satis exprimi in præfato cap. significatum, vbi in fine subditur non ei licere transferre se ad aliam Ecclesiam. Non negarem tamen ex aliqua ingruente necessitate licere eidem Capellano aliquando per annum, puta quater, vel sexies celebrare pro se ipso, vel sibi valde coniuncto ad specialem aliquam Dei gratiam obtinendam, id enim non negaret pius Capellanie institutor, si de tali casu cogitasset, vel interrogatus fuisset. Ita Naldus, cui adde Homobonum de Bonis in consulti. moral. tom. 2. part. 7. respons. 52. Sed aliquis posset dicere hos auctores non præbere hanc licentiam ex paruitate materiae, sed ex præsumpta voluntate testatoris, nisi dicatur talis voluntas præsumi ex ipsa paruitate materiae.

RESOL. LXIII.

An Sacerdos obligatus quotidie celebrare, possit semel in hebdomada omittit Sacrificium etiam si institutio dirigitur ad locum, & celebrare pro alio, accepto stipendio?

Et docetur talem Capellanum posse quater, aut septies per annum celebrare pro seipso, vel sibi valde coniuncto patre, matre, & benefactore. Ex part. 10. tr. 14. & Misc. 4. Ref. 35. alias 37.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Pater Vidal, in Arce Theol. Mor. tit. de Iustitia, Inquisit. 1. per totam, in qua firmat, quod Sacerdos obligatus quotidie celebrare, potest tuta conscientia semel in hebdomada se abstinere à celebratione Missæ quomodo loquatur Testator, ac exister institutio Capellanie: at si illa die, in qua non tenetur celebrare